DE CHLOROSI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXI. M. DECEMBRIS A. MDCCCXLIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ISIDORUS LOEWENSTEIN
GEDANENSIS.

OPPONENTIBUS:

J. KIRSCHSTEIN, MED. ET CHIR. DR.
ABARBANELL, MED. ET CHIRURG. CAND.
H. SACHS, STUD. PHILOS.

BEROLINI,
TYPIS SCHNITZERIANIS.

Und er stand mit dem Weihrauch zwischen Todten und Lebenden.

PIIS MANIBUS

FRATRIS OPTIMI, DILECTISSIMI

HENRICI

AC

DOROTHEAE POLLACK

AFFINI SUAE DILECTISSIMAE OPTIMEQUE

DE SE MERITAE

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Nulla fere artis medicinae inveniatur pars, quae a viris laudatis beneque meritis non sit excussa et tractata. Etenim quum suum cuique officium sit, literarum campum, quem colat, assidue meditando ac perscrutando amplificare, tum maxime medicinae studium, res non minus ampla quam frugifera, cultores suos ad vires exercendas invitat. Experientia vero rerum ad hoc pertinentium prae omnibus ceteris opus est, quae quum tironi magis vel minus desit, summa ei objiciuntur impedimenta. Decursu modo temporis ubi sua edoctus est experientia, sententiam suam proferre ei licet. Quam ob rem hoc libello nihil aliud conati sumus, quam sententias virorum praeclarissimorum Busch, Siebold, Joerg, Mende, P. Frank, Canstatt multorumque alio-

rum, qui de chlorosi copiose scienterque disseruerunt, colligere nostramque opinionem, data occasione, passim modeste inserere. Benigne itaque lector libellum nostrum accipiat, humaniterque de eo sentiat, quaesumus.

I. SYNONYMA.

Χλώρωμα (Hippocrates), Illisis (Avicenna), Febris alba et virginum obstructiones (Mercatus), foedi colores (Baillou), morbus virgineus (Roderic a Castro et Daniel Sennert), chlorosis (Ranchen et Varandé), Icteria alba (Ettmüller), pallidi colores (Sydenham), febris amatoria (Langius), *ictère blanc* (Sauvages), *green-sickness* (Angli), *pâles couleurs* (Francogalli), *Maagdzietke* (Batavi).

II. MORBI DESCRIPTIO ET NATURA.

Si morbi sanatio prospere cedere debet, conditio perquam necessaria haec est, ut mali focum investigemus atque oppugnemus. Nam saepissime morbi nobis occurrunt, qui minime sunt primarii, sed aut secundarii ex primario prodierunt, aut tantummodo alius cujuspiam sunt reflexus. Quam stultum foret, si quis exanthema, cujus radices alte in vegitationem penetrant, nonnisi remediis externis tollere vellet, aut si quis febrem in exanthemate acuto tamquam summum curae finem persequeretur. Nunquam hic vel ille exitum secundum consecuturus esset. Similiter res se habet, quod attinet chlorosin. Chloro-

sin quidem veram discernimus et symptomaticam: dum illa apud puellas tenerae aetatis anomala evolutione sexuali declaratur, haec potest symptoma diversissimarum affectionum fieri, quin etiam in quaque aetate et quoque sexu prodire.

Nos quidem hic de prima tantummodo agimus et phaenomena singulorum systematum abnormia adumbrare conabimur. — Morbus puellas pubescentes invadit, nec videtur certis quibusdam constitutionibus terminari, quum et infirma individua et robusta ab eo corripiantur. Memorabile est puellas pubertatis periodo dispositionem quandam ad chlorosin ostendere. Carus [1]) in plerisque minus validis individuis periodo, qua corpus increscere fere desierit, etiam sine peculiari valetudinis turbatione cutis colorem pallidiorem, defatigationem, habitum animi melancholicum, appetitus inopiam et similia procedere refert, quae saepius ad fastigium altius ascendant. Auctore Roche maxime temperamenta lymphatica et constitutio debilis ad hunc morbum praedisposita sunt.

Sieboldius (in libro de morbis mulierum) existimat, chloroseos originem non semper a causis apertis esse deducendam, sed nonnunquam in opportunitate hereditaria latere (ut nos jam supra notavimus), aut in quibusdam inexspectatis difficileque cognoscendis corporis muliebris mutationibus, pubertatis tempore.

Puellae tenera corporis formatione, dispositione morbosa non apparente, a duodecimo anno ad quartum decimum, quo tempore potissimum crescunt, symptomatibus chloroticis corripiuntur, nulla tamen

---

1) Carus, Gynäkol., Bd. 1.

nec somni nec appetitus nec alvi dejectionis mutatione, qui status brevi, nonnunquam hebdomade interjecta ad summum pervenit fastigium, ubi morbus, sibi ipsi relictus, quinque aut plus hebdomades manet, tum decrescit sensimque evanescit. Paullo post symptomata chlorotica rursus apparent, eundem faciunt decursum et mox menstruatio prima fluit, quae interdum post primum morbi impetum in conspectum venit. Sub his conditionibus menstruatio rite quidem, sed parce fluit. Symptomata chlorotica sunt detersa atque corporis evolutio non turbata procedit.

Irritabilis constitutionis puellae, quarum corpus mature est excultum, sine moliminibus menses assequuntur; initio fluunt regulariter, sed temporis progressu fortius, denique tam copiose, ut virium exhaustio sequatur, post quam non rursus se recreant atque chlorosi corripiuntur. Menstruatio nunc tribus hebdomadibus redit, est copiosa et sanguis ejectus fuscum habet colorem. Malum crescit, quod si non coërcetur, aegrotae in statum leucophlegmaticum incidunt, cum aut universali aut partiali aquae colluvie in tela cellulosa corporisque cavis. Menstruatio est exstincta, vita misera aut ipsa mors aegrotas abripit. — Puellae, quarum faciei color pallidus erat a prima aetate, quarumque corpus mature est excultum, musculis non satis cohaerentibus, mensibus sine moliminibus fluentibus, interdum chloroticae fiunt, gravi cephalaea vexantur, interdum narium stillicidium adest, quae res postquam aliquod tempus perduraverunt, in similem statum, ut supra descriptum, incidunt. Menses non rite fluunt, modo parce, modo copiose, qui si cedunt, congestiones ad pectus et

caput oriuntur; aegrotae omni vespere rubore superfluuntur, cephalaea violenta ac vertigine laborant, tussi vexantur multumque sanguinis ejiciunt, abdomen est tensum, durum, appetitus et digestio normalis. A specie supra memorata haec sic abhorret, ut sibi ipsi relicta, non perpetuo augeatur, sed semper certis finibus coërceatur.

Puellae, quae in eo tempore, quo menstruatio se ostendere solet, corporis perfectionem nondum assecutae sunt, quibus illa consentiens ratio formae singulorum membrorum deest, quaeque praecipue perspicuam quandam infantilem formam faciei ostendunt, hilaritate aetatis juvenilis non amissa, quindecimo anno chloroticae fiunt. Antea nonnunquam menstruatio apparuerat, parca tamen, mox autem evanuit, plurimum nunquam prodierat. Intervallo temporis praeterlapso locis diversis exanthemata in conspectum veniunt, in pedibus in ulcera mutantur, quae si sanantur, antagonistice pectoris affectiones et sputorum ejectio aucta percipiuntur. Quae quidem ab initio cedunt, si pedum ulcera provocantur, serius vero, ulceribus non suppressis, denuo apparent et aegrotae mox afficiuntur phthisi purulenta cum febri hectica.

Denique puellae sine perspicua causa chloroticis symptomatibus invaduntur et inusitatam rerum insuetarum cupidinem ostendunt. Tales virgines saepe aciditate laborant. Somnus est interruptus, digestio pigra, obstructa alvus.

Hic status plures menses durare potest, organismo in periculum non ducto, simulac menstruatio primo intrat, illa symptomata evanescunt. Aegrotae sanantur, quando menstruatio pluries apparet.

Cutis colorem admodum characteristicum in omnibus invenimus chloroticis, quod signum tam constans est, ut prope omnes scriptores notionis definitionem chloroseos ab his mutationibus propriis repeterent. Omnino autem his potissimum symptomatibus in conspectum venit.

Virium defectione atque debilitate in omnibus totius corporis partibus, segni lentoque incessu et celerrima fatigatione in minima quaque contentione; pallido faciei colore viridi mixto, quod signum ita est perspicuum, ut virgines eo laborantes morbo primo conspectu cognoscantur et morbus ipse colori illi exsangui nomen debeat. Chlorosis scilicet nomen suum e graeco χλωρὸς ducit, quod verbum hic loci, praeter alias significationes, colorem chlorosi laborantibus proprium indicat. Potes quidem me refutare, quum chlorosis non his solum, sed multis etiam aliis iisque perspicuis signis perlucide dignoscatur, neque hic albus color nisi unus ex multis sit indicibus; sed usus tyrannus, quapropter et hoc loco usum sequi praestat. Morbi vero imaginis perficiendae causa nonnulla addamus signa, quae raro desiderantur. Palpebrae flavidi sunt coloris fusco intermixto et in majore morbi gradu nonnunquam oedematose tumefactae. Oculi conjunctiva, gingiva, labia hilarem amiserunt colorem, pallent ac languent Sclerotica tristem praebet speciem et in loco pristini albi languidum perspicitur flavum. Coloris naturalis defectus, horripilationes frequentes, pulsus parvus, lentus et debilis, respiratio difficilis, dyspnoea, asthma, maximaque ad dormiendum inclinatio. In corde hoc malum palpitationibus se prodit arteriarum susurro (qui susurrus Gallica lingua appellatur *bruit de diable*)

et animi deliquiis. Neque minus aegrotae laborant mala digestione, quae appetitus defectione insuetorumque ciborum desiderio, lingua obtecta, gustu amaro, vomituritionibus, vomitu ipso post cibos sumptos frequenti et obstructione cognoscitur. Nervorum systema, apud feminas per se praevalens, iisque singularem praebens et agendi et sentiendi rationem, summam ostendit perturbationem. Chlorosi laborantes ad melancholiam animique tristitiam proclives sunt, cogitationibus moestissimis indulgent et remotae a publicis voluptatibus ac ludis quaerunt solitudinem, admodum sunt irritabiles et res, quam sit minima, in fletum eas adducit. Nonnunquam nervorum affectio ad hysteriam crescit, ad ecstasin et somnambulismum; contra negari non potest apud chlorosi laborantes interdum insuetam inveniri hilaritatem. Exhalationum defectus, cutis rigida, abdomen paullulum tumefactum. Ad haec symptomata venit acrisia menstrualis. Saepe molimina menstruationis fere desiderantur, saepe evanescit, postquam se ostendit, aut rite non fluit, id est sanguis ejectus serosam praebet speciem, pallidus et aquosus est. Amenorrhoea tamen ad chloroseos naturam non plane opus est, pristinaque opinio ideo falsa est, quod sequelas cum causis permiscuit. Ratio functionum, quae genitalibus sunt attributae, secundum Canstatt hos permittit gradus.

a) Chlorosis puellarum tenerrimae aetatis, quarum genitalia nondum sunt evoluta. Nullum fluxus menstrui vestigium.

b) Menstruatio praecox pro aetate et evolutione vegetativa, quam chlorosis sequitur.

c) Menorrhagia immodica, quae chloroticam efficit anaemiam.
d) Connubium praematurum.
e) Menstruatio aut molimina menstrualia casu quodam repressa in corpore non satis maturo.

Mutationes in sanguinis systemate pariter valde ab norma recedunt. Sanguis ex vena missus clare docet, serum praevalere et fibrinam deficere, unde ille magis est aquosus. Pulsus est parvus, debilis, frequens, interdum tamen duriusculus ac plenus. Systema lymphaticum prae ceteris praevalere incipit, sed contenta lympha non est qualitatis normalis, verum tenuis, aquosa minusque nutritioni apta. Inde pendet adspectus aegrotarum tumidus, ex serosa depositione in tela cellulosa suspensus, oedema pedum, anasarca universalis, turbationes in systemate lymphatico, glandularum intumescentiae. Membranae mucosae aeque sunt affectae et ad secretiones anomalas proclives, praecipue membrana mucosa genitalium et organorum respirationi inservientium.

Eximii ponderis est status organorum sexualium, qui quidem minime constans, sed forma est diversa. [1]) Si chlorosis mature evolvitur, antequam genitalium evolutio perfecta est, tum organa sexualia in evolutione impediuntur, apparent atrophica ac sensibilitas est imminuta, energia menstrualis aut plane non aut tantum imperfecte evolvitur. Coëundi appetitus non excolitur, in organismo toto evolutio sexualis prorsus non exprimitur. Ubi contra evolutio sexualis ratione totius organismi maturius procedit, partes genitales anomalam ostendunt sensibilitatem, aegrotae

---

[1]) Busch, Geschlechtskrankh. des Weibes, Bd. II. S. 409.

laborant ex fluore albo, energia menstrualis prodit quidem, sed modo fluidum aquosum excernitur aut haemorrhagia existit. Coëundi appetitus est adauctus, energia menstrualis in omnibus chloroticis aut turbatur aut prorsus desistit. — Phaenomena chloroseos symptomaticae, alios morbos comitantia, valde sunt diversa. Hic quoque duae species bene sunt distinguendae: primum, ubi per malum praesens evolutio sexualis interrumpitur, tum, ubi eadem augetur. Morbi, ex quibus chlorosis evadit secundaria, potissimum hi sunt. Inflammatorii, febriculosi pubertatis periodo, qui quum minus diligenter tractentur, irritationem singulorum organorum vel tantam debilitatem universalem relinquunt, ut evolutio sexualis non perficiatur. Ex his morbis praecipue scarlatinam, morbillos, variolas, carditidem nominamus; porro organicos status morbosos et maxime in ipsis partibus genitalibus, inflammationes chronicas, dyscrasica mala, partim ex depravatione succorum, partim ex anomaliis.

Jam in scriptis medicorum antiquissimorum chlorosin licet quam brevissime delineatam reperimus: veluti eam Hippocrates, Galenus, Aëtius, Paulus Aegineta, Avicenna memorant. Primus vero hunc morbum accuratius descripsit Langius circiter annum 1550. Ab omni autem tempore lis extitit de morbi formis, de phaenomenis singulis ac natura, de aetate et sexu, de cura: unde non mirandum, quod nomina proferebantur diversissima et morbi essentia, ut ita dicam, modo in hujus, modo in illius systematis turbatione quaerebatur. Nec injucundum est, judicia virorum praeclarissimorum de hujus morbi indole percipere. Multi, in quibus Hoffmann, qui

hunc morbum cachexiis accenset, **Ballard**, **Gardien**, proximam chloroseos causam in anomalia quadam organorum digestionis sitam putant, indeque omnia phaenomena derivari posse arbitrantur. Quae opinio saepenumero sic impugnata est, ut organa concoctionis non ubique turbata reperta esse opponeretur, et ubi hoc locum haberet, ista organa, chlorosi demum longius persistente, conturbata esse, quam turbationem minime esse characteristicam: quae si esset causa proxima, negari non posse, morbum in quaque aetate et in sexu etiam virili occurrere posse, quod quidem non usu veniret. Turbationes in organis chymificationis et chylificationis anomalias maxime varias in corpore provocare posse, vix est, quod commemorem, quia vita et animalis et corporea, omnino regularis processus functionum ex formatione boni et ad nutritionem idonei sanguinis pendet. Hic vero fons in istis inest organis, ac raro chloroticae bona concoctione instructae reperiantur.

Saepius hanc invenimus sententiam, chlorosin in anomalia systematis sanguinis proxime niti, id quod defendunt **Boisseau**, **Andral**, **Rachet**, **Bouilland**, **Blaud**, alii. Primus auctor morbum ducit asthenicum systematis sanguinis statum, quia potissimum stimulantes illius systematis proprietates diminutae sint. — E. de **Siebold**[1]) chlorosin existimat morbum, qui causam habeat in imminuta irritabilitate systematis arteriosi omnino et vasorum abdominalium in specie, et segnis circulationis sequelam. **Jahn**[2]) et **Brandes** causam primariam in in-

---

1) Handbuch der Frauenkrankh., Bd. I.

2) Klinik der chron, Krankheiten.

firmo systemate lymphatico ponunt, aliis fontem in systemate nervoso quaerentibus. Cullen morbum statibus morbosis adynamicis adnumerat, infirmitatem igitur causam arbitratus proximam. Trousseau illum affectionem putat hystericam, proximam causam habens systematis nervosi depressionem. Colombat pariter causam chloroseos principem in asthenia totius nervosi et potissimum gangliorum systematis ponit, quod organis digestionis, nutritionis, circulationis ac genitalium praeest. Pinel et Haase nolunt chlorosin peculiarem morbi formam habere, sed modo comitem amenorrhoeae et dysmenorrhoeae: quibus assentitur Mercatus. Ac profecto non licet omnino negare, retentjonem sanguinis excernendi chlorosin procreare posse. Quid enim hoc differt ab eo. quod suppressio sudoris vel retentio bilis, urinae aut aliarum excernendarum materierum morbos varios producere valet? Sanguis menstrualis non est purus, nutritioni idoneus, ut analysis chemica docet, quippe qui ex crasso fluido mucoso constet et in corpus denuo receptus turbas ciere debeat. Altera ex parte tamen chloroticas invenimus, in quibus functiones sexuales in decursu demum morbi turbantur, amenorrhoea itaque causa efficiens duci nequit. Secundum Meissner[1]) chlorosis est morbus, qui plerumque sexum sequiorem in primis pubertatis annis aggreditur, et cano-pallido faciei colore, lividis circum oculos circulis, sicca cute, passiva et minuta nutritione cognoscitur. Roche[2]) chlorosin morbum existimat, cujus symptoma praestantissimum in miro quodam,

---

[1]) Forschungen des 19ten Jahrh., Bd. II. S 100.

[2]) Universal-Lexikon der prakt. Medizin, Bd. III.

saepissime etiam flavescente vel viridescente pallore constat. Sauvages [1]) morbum sic adumbrat: *La chlorose est une maladie, dont le principal symptome est une páleur repandue sur le visage, accompagnée d'une asthenie générale.* — Capuron [2]) dicit: *En général cette maladie n'est propre qu'aux personnes du sex, qui sont eminemment lymphatiques, ou qui ont long-temps vecu sous l'empire de causes débilitantes et dont la constitution a été détériorité et réduite a l'état de cachexie par un air humide et mal sain, par l'habitation dans des lieux bas mal éclairées, par le défaut de vetemens, par la disette ou par l'usage d'alimens peu nutritifs, par des évacuations excessives, par une vie molle, oisive et non exercée, par des affections tristes.*

Omnia haec symptomata, quae commmemoravimus, apud chloroticas raro quidem congregata cernuntur. Indicia universalia vero faciei pallorem, languorem corporis, cephalaeam, palpitationes cordis atque auscultando strepitum in carotidibus, jam supra citatum semper invenimus. Causa hujus morbi in sanguificatione depravata nervorumque affectione est quaerenda, quibus rebus omnia morbi indicia explicare atque arguere possumus. Quam sententiam nostram argumentis affirmare conemur. Pallor iste faciei insignis, a quo morbus nomen ducit, naturaliter apud homines in conspectum venit, qui vernacula lingua appellantur Kakerlaken, et apud Albinos; porro in morbis, in quibus sanguinis massa aut cruor solus aut pulsus ad cutem deminuitur; in mortuis, antequam

---

1) Nosol. method., t. IX. pag. 499.

2) Trait. mal. des femm. 63.

maculae luridae oriuntur, passim ubi rete vasorum cutaneum magna ex parte deletum est, quam ob rem in amplis cicatricibus et in chlorosi ipsa propter materiae paucitatem, sanguinem rubro tingentis. Qui status, plasticitati auctae et supervacaneae cruoris formationi contrarius, anaemiae similis est. Sanguis diversissimis causis infirmantibus depravatus, non prorsus corpori satis nutrimenti praebere potest, eget ea, qua corroboretur atque confirmetur materia et partes e tali sanguine formatae languidam speciem conservant, quod perlucide in musculorum systemate conspicitur, nunc pallido, cujusque majoris contentionis impotenti. Cutis rubore consueto caret, cruore deficiente. Nec minus ipsa quantitas sanguinis minuitur, unde chloroticae semper horripilationibus vexantur. Sanguinis nervorumque systemata arctissime sunt conjuncta, ita ut alterius affectiones vix alterum relinquant intactum, quamquam non raro quidem observatur, alterum praecipue systema morbo orto esse correptum, ut vasorum in morbis inflammatoriis, nervorum in nerveis animique perturbationibus: mox tamen, vel serius vel ocius, id quod ab initio erat liberum systema morbo implicatur, malaque quae inde sequuntur ostendit. Sanguis tanquam liquor vitalis in nervos habet vim, qui retro illum similiter afficiunt. Nervorum irritatio, raro deficiens, nullo modo, ut equidem opinor, explicanda est nisi sanguine vel principalis partis egente vel certe minuta. Liquor vitalis hic non satis vivus et excitans, ut in statu integro, nec minus digestio alienata vim in id habet indirectam. Unde apud hypochondriacos et hystericas animus iste morosus? Unde societatis et frequentiae timor in altero, sensusque nimis mol-

lis alterius. Systema gangliosum, praecipue plexus nervorum abdominales, morboso modo sollicitata, illud anomalon perficiunt. Utrumque systema, quum sanguinis tum nervorum in chlorosi primario modo affici potest, in utroque tamen effectus postremus idem, et id ipsum momentum confirmare potest, quod supra constitui judicium. Complures auctores chlorosin idiopathicam et sympathicam discernunt, quae aut sanguinis, aut materierum vitae inservientium jactura, aut sanguine vitiose comparato, apud puellas, gravidasque, in decrepiditatis tempore etiam apud viros invenitur, quo in casu omnes hae, quas supra memoravimus, personae dici possunt chlorosi esse laborantes, quia chlorosis hic nihil aliud est nisi anaemia.

Chlorosis vero idiopathica puellas tantum pubescentes corripit, qui morbus efficitur eo, quod in hoc evolutionis tempore indoles quaedam chlorotica normalis esse videtur. Sanguis illarum nondum eam assecutus est perfectionem, qua indicationibus nunc incipientibus sensibilitatis atque irritabilitatis respondeat. Itaque omnes fere virgines in hoc tempore majore palloris gradu afficiuntur, facile languescunt, animo sunt mutabili ac irritabili. Quam ob rem chlorosis morbis adnumerari potest ad corporis evolutionem pertinentibus, et re vera pubertatis tempore diversissimis causis noxiis haec sanguinis deminutio invenitur. Etiam pro naturae varietate, alius apud phlegmaticam, alius apud irritabilem animi indolem est morbus, sicut in scrophulosi haud secus respici debet, magnamque in tractatione habet vim. In eo, quem supra memoravimus statu, cognoscitur morbus magna lassitudine, parva res externas percipiendi facultate, pallore morti simili, perpetuo frigore, ad leu-

cophlegmasiam et blennorrhoeam inclinatione. Hoc in statu sanae olim habitae et florescentes virgines aegrotant, et morbus est insignis sensibilitate perversa, congestionibus, calore volatili cum horripilationibus intercurrente, vertigine, hysterismo, symptomatibus auctis, quum incitamentum oriatur. Quemadmodum primum genus in hydropem se convertere solet, ita chlorosis apud sensibiles in morbos tabescentes.

III. DIAGNOSIS.

Ad errores diagnosticos judicium non acute institutum singulorum symptomatum, ut coloris cachectici, cordis palpitationum, digestionis afflictae perducere potest. In ictero quidem eundem faciei luridum colorem habet aegrotus, quae res apud minus peritos permutationem efficere possit, in illo vero sclerotica, simulac morbus erumpit, flavescit, in hac normalem colorem non amittit; in isto palpitationes chlorosi insignes arteriarumque strepitus desiderantur, quorum loco sedes ex defectu bilis in tractum intestinalem effusae argillaceae apparent. Difficilior est diagnosis inter palpitationes e chlorosi ortas et eas e morbis organicis, qui etiam pallore ac oedemate sunt conjuncti, chlorosis contra, si longius perdurat, morbos cordis organicos gignit, ita ut tempus esse possit, quo qui morbus adsit dignoscere, haud facile est. Haec tamen vestigia ad verum ducunt: pubertatis aetas sexusque muliebris jam magnam palpitationum chloroticarum suspicionem excitant, certior tamen fit diagnosis, quum haec symptomata cum morbo progrediente appareant. In morbis cordis organicis saepe indoles hereditaria observatur, et symptomata colo-

rem faciei cachecticum anteeunt, qui signum morbi longius perdurantis est. Etiam remissio symptomatum deest, quae tamen apud chloroticas invenitur atque post labores dificiles, animi perturbationes cedit, mox vero, animo tranquillo, redit. Et ipsa therapia rectam viam ostendit, quum in morbis cordis chloroticis ferrum, utilissimum medicamen adhibeatur, in alteris vero dammum modo afferat.

IV. AETIOLOGIA.

Persaepe dispositio quaedam chlorotica adesse solet, quae universali nervorum vasorumque torpedine in abdomine agnosci potest. Quam ob rem in eas praecipue incedit puellas, quae habitu sunt spongioso, torpido atque phlegmatico, quarum functiones abdominales languescunt, quae ventris tensione laborant, et blennorrhoeis tractus intestinalis et albo fluori ac digestioni depravatae obnoxiae sunt. Morbis, qui corporis evolutionem impediunt, evolutione genitali non turbata, causae eae sunt, quae irritationem systematis arteriosi universi aut vasorum abdominalium minuunt. Ad illas referendae sunt, corpus non satis excultum, eruditione neglecta, nutrimenta mala, commoratio in locis humidis multaque in aqua negotia, defectus motionis, copulationis appetitus praemature laesis moribus partus, quo in statu sensibilitas aucta, irritabilitas vero minuta invenitur, contentiones graves tempore maturitatis, corpus calefactum mox vero refrigeratum, prae omnibus autem animi depressiones, ut moeror, aerumnae, desiderium et quidem desiderium amati. Mihi ipsi occasio obviam facta est videndi puellas, quae, haud humili loco natae, ad bene casteque vivendum institutae, nulla quae conspici po-

tuerit causa efficiente a chlorosi incessae, summa adhibita in medendo cura, pristinam corporis integritatem recuperare antea non potuerunt quam medicus, causa morbi perspecta, matrimonium suasit, quod repente malum sustul t. Ceterum nullus fere morbus, exceptis inflammatoriis, quin aliquo modo animi depressione sit partus. Quamquam enim primario tantum modo, nervorum systema pars est affecta, tamen sanguinis systema non ita excitare potest, quam ad organismum sustentandum opus est, qui iterum et quantitate et qualitate mutatur ac depravatur. Neque chloroseos causae praetermitti debent morbi jam prius apparentes, ut febris mucosa vel nervea vel intermittens, in universum morbi magna virium jactura juncti, itaque nec minus virium jactura haemorrhagiis orta, quam salivatione continua, diarrhoea habituali, lactando nimis longé. Noxae, systema uterinum ipsum magis afficientes sunt: coitus nimis aut mature aut crebre exercitus, onania, fluor albus, menstruatio praematura vel nimis saepe rediens, sanguinis magna jactura post partum et lochiae longius durantes. Alia chloroseos causa quaerenda est in morbis uteri organicis, qui vires exhauriunt. Menstruatio saepe apud chloroticas valde perturbata, sive nimis parce aut copiose fluat, sive suppressa appareat, sive colore sit fusco, qualitate mucosa: semper autem a statu integro abhorret. Quam tamen mensium anomaliam proximam chloroseos causam statuere absurdum est; sequitur potius ex universali organismi debilitate et productivitate systematis uterini afflicta. Omnino amenorrhoea sola raro medicis est tractanda, sed sublatis aliis causis, haec quoque cedere solet, quoniam ex his potissimum manat ac viget. Perraro

in chloroticis functiones uterinae non sunt turbatae, attamen non satis circumspecte frustraque ageremus, si amenorrhoeam emmenagogis vincere conaremur, nam minime est malum topicum et porro, nullis adhibitis remediis, evanescit, dummodo chlorosis sublata sit.

V. PROGNOSIS.

Plerique scriptores haud dubie in eo consentiunt, chlorosin idiopathicam conditionibus non nimis infaustis et justa tam medica quam diaetetica curatione sanari posse, turbationibus in corpore non residentibus. Nec raro ipsa natura sanat. Res, quod attinet prognosin, respiciendae hae sunt: 1) constitutio et vires aegrotarum. Quo invalidiora individua, quo major praedispositio hereditaria, quo magis functionum energia depressa est, eo prognosis pejor existit. 2) Aetas. In universum, quo juniora sunt individua, tanto faustius praesagium. Sed semper evolutionis genitalium ratio ad aetatem consideranda est. Quo serius enim coitus appetitus inter chlorosin prodit, eo certius de vitio, vitae propriae nocente, concludi potest. 3) Forma morbi. Species erethica facilius potest sanari quam torpida, cum universali debilitate conjuncta. 4) Causae. Melius est, si causa modo praeteriens aut saltem facile tollenda, et si vitam sexualem directe afficit, ita ut nondum in totum organismum debilitans egerit. 5) Complicatio chloroseos cum morbis aliis. 6) Spatium morbi et processus. Ubi reproductio nondum magnopere affecta est, necdum succi depravati, prognosis est laetior. Denique conditiones aegrotarum et executio praescriptorum medicorum.

VI. EXITUS.

Et tempore et sequelis morbus multum alius ab alio abhorret. Fieri potest, ut post aliquot hebdomades ad reconvalescentiam se convertat, contra quoque ut per multos menses, annos etiam perduret et gravibus miseriis conjunctus in mortem abeat. In sanitatem sensim sensimque transit, quantitate ac qualitate sanguinis statui integro appropinquante, pallore faciei evanescente, profligatis viribus rursus crescentibus, appetitu apparente mensibusque fluentibus, saepe post matrimonium ac conceptionem. Sola menstruatio, nisi aliae res emendatae sanguificationi accedunt, sanationem non indicat, quum illa, anaemia perdurante, via artificiali esse possit provòcata. Nervorum perturbationes, praecipue systematis gangliosi, non raro sequelae non radicitùs curatae chloroseos observantur, ut hysteria, melancholia, nymphomania, quarum postrema existit, si chlorosis conjunctionis appetitu non expleto orta erat. Cordis nimis vehementes agitationes, quibus energia circulationis compensetur, morbos illius organi efficiunt, ut dilatationes ac aneurysma. Libenter in morbos chronicos et cachecticos excurrit, in hydropem anasarcam, asciten, atque in hydrothoracem, phthisin. Quae signa saepe cum chloroseos phaenomenis se ita confundunt, ut decursus ejus non ita luculenter in conspectum veniat. Sunt pedes tumefacti et abdomen, diuresis minuta, cutis secretio suppressa, oppressio pectoris, tussis tenax, sputa purulenta aut sanguinolenta, febris hectica, diarrhoeae vires excedentes. Horum morborum accessione maxime debilitas augetur, appetitus minuitur, somnus fit inquietus, in universum omnia chloroseos symptomata cre-

scunt, his exceptis, quae ex alienata systematis genitalis irritatione originem ducunt, quaeque, debilitate magis magisque crescente, plane fere evanescunt. Haec est parva adumbratio sequelarum tristium morbi, qui nostris temporibus creber et potissimum in hominibus inferioris conditionis invenitur et sibi ipsi relictus, aegrotas ad mortem ducit.

VII. THERAPIA.

Princeps indicatio, quam in curanda chlorosi sequamur opus est, eo excurrit, ut vitalitatem afflictam erigamus ac praesertim systematis uterini productivitatem augeamus. Ad quem finem nonnunquam plane ratione diaetetica pervenimus, quae via, si ad morbum tollendum sufficit, semper est aptissima atque maxime idonea. Ceterum haud difficile perspicitur, curandi rationem diversam esse oportere ex aetate, consuetudine, societate; semper tamen cura diaetetica cum pharmaceutica conjuncta esse debet. Aegrotis omni modo societas hilara quaerenda, vita sedentaria vitanda, suadenda est modica motio, praesertim in aëre campestri. Nutrimentum optime eligendum ex genere animalium, qui cibi sale condiri aliisque aromatibus componi possunt; potus consistat in cerevisia facili digestu paulloque vini. Semper porro respiciendum est, ne aegrotae somnum nimis protrahant, neve coffeae vel theae infuso sint nimis deditae, neve refrigerationem sibi contrahant. Magnam utilitatem balneae tepidae afferunt. Omnia, quae proposui, remedia eo spectant, ut plasticitate aucta remotisque causis noxiis fortiorem nutritionem ac sanguificationem efficiant et hilaritate restituta animi perturbationem tollant. Sin vero morbus majores

fecit progressus aut complicitus est aliis vitiis, remedia pharmaceutica non sunt omittenda. — Magni est momenti cognoscere, num debilitas receptivitate aut aucta aut minuta sit conjuncta, quia in utraque cura differt. Discernimus chloroticas constitutione torpida ac sensibili. Apud illas, habitu, temperamento, torpedine insignes, ea medicamina, quae principio acri, resina atque oleo aethereo systema uterinum excitant ibique congestiones pariunt, quaeque vim vasorum augent, sunt adhibenda. Itaque non inutilia sunt aromatica, ut mentha, majorana, millefolium, valèriana; balsama porro ac resinae propter vim incitantem uterumque ipsum praecipue afficientem, ut balsam. peruvianum, copaivae, asa foetida, gummi ammoniac., galbanum, myrrha. Vehementer excitant nonnulla olea aetherea, ut juniperi, terebinthinae ac praesertim oleum sabinae. Inter remedia efficacia numeranda sunt aloe in dosi parva, continua tamen aliisque remediis conjuncta, herbae gratiolae grana duo ad quatuor in extracti forma, sensim sensimque majores doses, folia sabinae ad infusum. Eis, quae productivitatem systematis uterini augeant, tonica sunt adnumeranda, in quibus materia extractiva amara praevalet, ut herba trifolii fibrini, marrubii albi, millefolii, radix gentianae, calami aromatici, lignum quassiae, cortex chinae omniumque princeps ferrum.

Adjunguntur externa infrictiones abdominis, institutae oleis aethereis, oleo sabinae, juniperi, balsamo peruviano in spiritu vini soluto. Efficacissimae hic sunt balneae tepidae. Sed si organismi debilitas aucta receptivitate est insignis, quae externo aegrotae habitu, hystericis et spasticis symptomatibus

cognosci potest, tonica caute sunt propinanda propter difficultatem digestionis. Hoc in casu optimum sit mitissima minimeque cohaerentia tonica adhibere, ut acidum Halleri vel acidum muriaticum infuso aromatico immixtum. Sed si organa chylopoetica ita sunt labefactata, ut etiam acidum molestias afferat, nihil est aptius quam hanc sensibilitatem auctam opio, quod in infuso aromatico positum est, hebetare, quo facto ad ea, quae supra nominavimus, remedia redire. De principe medicamine in hoc morbo, nempe de ferro ejusque vi nonnulla memoranti mihi sit venia. Vis, quam habet ferrum in humanum organismum, notior est, quam ut multis verbis de ea disserendum sit. Ferri usu sanguis elementis firmis crescit, cruore aucto rubriorem colorem adipiscitur, circulatio acceleratur, uno verbo, sanguis ad nutriendum aptior fit. Qui ferri eventus quum notus esset, quid tum luculentius erat, quam illud laudare semperque prosperrimo successu adhibere, quum chlorosis fundum petat ex sanguinis depravatione, cui tollendae nihil ferro melius est. Itaque Naumann, vir magni momenti, jocose quidem, verissime vero ait: qui nescit Martem, nescit artem. Neque tamen parvum afferremus damnum, si ubique ferrum adhiberemus; sed primo est respiciendum, num digestionis organa in integritate versentur, quae si non sunt intacta eventum spei nostrae non esse responsurum constat, quia ferrum ipsum ejusque praeparata robur quoddam organorum chylopoeticorum poscunt, alias facile eruditates pariunt ac gastricismum revócant. Sed quum in chlorosi digestio raro solum non sit afflicta, ut supra vidimus, optima erit utilitate antea medicaminibus amaris uti, e. g. trifolio fibrino, carduo be-

nedicto, absinthio, chelidonio majore, quibus digestio corroboretur. Quo facto, ferrum ipsum et quidem ejus praeparata facilia digestu, tanquam princeps remedium, in usum revocare licet, usque ad usum ferripul verati. Semper tamen ferrum aromatico quodam conjungitur, quo digestio excitetur ferrumque facilius digestu reddatur. Fieri potest, ut ferri usu alvus sit obstructa, tum pauxillo rhei conjungi potest; aut succus gastricus hyperacidus sit, tum bonum erit medicamen absorbens addere. Praecipua memoratione digna sunt balnea martialia fontesque salubres, quae ad chlorosin tollendam multum afferunt, praesertim in loco adhibita, ubi res plures accedunt ad valetudinem restituendam. Quo pertinent Pyrmont, Schwalbach, Franzensbrunn, Spaa, Brückenau, Cudova, multique alii fere innumerabiles fontes. Praeter alia elementa continent ferrum oxydulatum carbonicum, salia, ut natrum carbonicum, muriaticum, sulphuricum, calcariam carbonicam, muriaticam, sulphuricam. Major eorum pars sunt frigidiores, alii vero calidiores. Gustus est atramento similis et contractivus. Quas aquas, etiamsi pars ferri carbonici insit parva, non tamen est negandum, hoc insignes vires salubres adipisci, et interdum quidem majores quam fortissima ferri praeparata. Quod admirari non possumus, quia, quod jam supra vidimus, ferri praeparata fortissima corpus poscunt minus irritabile, si bene digerantur. In forma ferri carbonici ferrum mitissimum habet effectum, facillime circulationi immiscetur et ita efficacitas augetur. Hoc modo adhibitum ferrum, hominibus debilibus et tractu intestinali sensibili praedito utilissimum est. Neque est praetermittendum, salia admixta ferri tonum mi-

nuere, secretiones augere alvumque laxiorem reddere. Itaque hae aquae salubres pretio sunt magno, quo etiam accedit, ut itinere faciendo successus animi hilaritate adjuvetur.

Nonnulla liceat de effectibus nonnullorum remediorum adjicere. Quod spectat ad venaesectionem, multi, exempli gratia Sydenham, Hoffmann, van Swieten, in chlorosi venam secari nolunt, aliis tantummodo raro parvas venaesectiones cum fructu se instituisse affirmantibus. Federigo, venaesectionis ille quidem inimicus, non negat tamen, hic illic inflammationes locales huic malo subesse, quae palliative venaesectionem desiderent; nec infitiatur Colombat parvam venaesectionem revulsivam utilem existere, quando aegrotae vehementibus vexentur palpitationibus. Omnino venaesectiones remedium curae radicalis fieri nequeunt, quippe augentes potius qualitatem sanguinis serosam, ac sequelas haud raro obvias, sicut leucophlegmasiam, hydropsiam, tabem tantummodo adjuvantes. At nonnunquam individua plethorica a chlorosi corripiuntur, aut organis sexualibus celerius sese evolventibus, aut aliis organis citius se excolentibus. Hic parvae venaesectiones, caute quidem institutae, mirum in modum prosunt.

Emetica quoque commendata sunt: primum quidem a Mercato ejusque asseclis, qui turbationem organorum concoctionis causam chloroseos primariam existimabant. Verum hoc medicamine parum tantum emolumenti conciliatum est. Nec licet emetica nisi remedia palliativa habere, quae tantum praesentibus in ventriculo sordibus et in obstructionibus systematis lymphatici advocari oporteat: nam praepostere adhibita ventriculum irritant, totum organis-

mum valde conquassant et facile, debili systematis nervosi statu, mala constantia provocare possunt. Ubi supra memoratae indicationes emeticorum administrandorum existunt, ipecacuanha, tanquam mitissimum et praeterea spasmos sedantia porrigatur.

Laxantia in chlorosi tractanda maxima sunt utilitate, quia in irritabilitate organorum gravium derivationi inserviunt et organa digestionis a materiis noxiis liberant. Busch teste, rheum, senna aptissima sunt, quum salia neutralia nimis debilitantia, fortiora vero drastica nimis irritantia in organismum agant.

VIII. SECTIO CADAVERIS.

Raro chloroticae mortem occumbunt, nisi ille morbus aliis est complicatus, aut, rebus externis intercedentibus, magnos fecit progressus. In illis casibus, quibus quidem aegrotae mortuae sunt, obductio docuit sanguinis defectum, uterum non satis excultum atque ovaria, et obvia in iis vitia organica nec minus in liene ac hepate, cordis dilatationem atque effusiones serosas in cavum pectoris et abdominis. —

VITA.

Ego, Isidorus Loewenstein, veteri fidei addictus, patre Josepho, matre Recha e gente Pollack, quibus Deus optimus maximus longam impertiat vitam, Gedani natus sum. Primis litterarum elementis in schola urbana imbutus, quinto decimo aetatis anno ad mercatorem sum deductus et quamquam jamdudum litterarum cupido me allexerat, rebus tamen familiaribus afflictis mihi ab illis erat abstinendum. Fortuna vero aliter de me egit. Frater enim, cujus mortem jam ex aliquot annis lacrimis persequor, cujusque memoria nunquam ex animo dilabetur, Berolinum me invitavit, omniaque ad vitam sustentandam studiumque inchoandum et continuandum necessaria mihi libentissime praebuit, ut ei, pro dolor! defuncto summas gratias agere supersedere nequeam. Cum maturitatis testimonio a gymnasio Frid. Werderano, quod annum et dimidium frequentavi sub auspiciis Cel. Bonnell, dimissus Regiomontium petii et Prorectore Magnifico Ill. Voigt in civium academicorum numerum receptus atque a Decano spectabili Ill. Burdach medicinae studiosis adscriptus sum. Per sex semestria his praelectionibus interfui: Ill. Burdach II. de osteologia et syndesmologia; Ill. Rosenkranz de philosophia practica, de psychologia, de logice; Ill. Rathke de zoologia, splanchnologia, angiologia, Illustr. Burdach II. de myologia et neurologia, anatomia generali; Ill. Meyer de botanice generali ac speciali; Ill. Dulk de chemia experimentali; Ill. Moser de phy-

sice; Ill. Sachs de pathologia generali et pathologia ac therapia speciali; Ill. Seerig de chirurgia; Ill. Hayn de arte obstetricia. Cadavera rite secare me docuerunt Ill. Rathke et Burdach jun.

Anno MDCCCXLIII. Berolinum repetii atque a Rectore Magnifico Ill. de Raumer inter cives academicos receptus, ab Ill. Mueller, t. t. Decano maxime spectabili, medicinae studiosis adscriptus sum.

Exercitationibes clinicis medicis, chirurgicis et obstetriciis interfui virorum Illustrissimorum Sachs, Seerig, Schoenlein, Juengken, Busch, Barez, Truestedt.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias ago quam possum maximas.

THESES.

1) *Natura ipsa plurimum ad morbos sanandos valet.*

2) *In morbis curandis semper genius epidemius est respiciendus.*

3) *Ex sanguinis depletione ac depravatione diversissimi morbi originem ducunt.*

4) *Venaesectio nullo remedio alio est compensanda.*

5) *Psychologiam nec minus philosophiam colere medici est.*